



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. V. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

potentia absoluta, tolli nequit, nisi per infusionem gratiæ habitualis, nec per consequens homo justificari.

95. Nec valet, si dicas, quod quamvis privatio gratiæ physice sumpta non possit tolli sine infusione gratiæ, tamen moraliter accepta, & quatenus est voluntaria (sub qua tantum ratione habet quod sit culpabilis, & peccatum habituale) tollitur hoc ipso quod per actum contritionis vel charitatis perfecte retractatur à voluntate actus præcedens, à quo habebat quod esset voluntaria. Non valet, inquam, hæc responsio: nam dato quod hoc ita sit, ex hoc tamen non sequitur posse fieri justificationem sine infusione gratiæ habitualis: cum enim actus contritionis & charitatis sint vitales, vitalitate supernaturali perfecti, debent procedere à principio proximo vitali, conjuncto radicali principio vitæ supernaturalis, quod est gratia habitualis, subindeque illam in aliquo priori naturæ in subiecto supponere; ut fusi ostendimus infra, cum discutiemus, an actus contritionis & charitatis, qui ad gratiam habitualement proximè disponunt, ab ipsa effectivè procedant.

96. Tertia denique pars, quæ affirmat quod in statu naturæ puræ remissio peccati, & justificatio hominis fieret sine infusione gratiæ habitualis, mihi certa videtur, quidquid in contrarium sentiant aliqui ex nostris Thomistis. Et probatur primò: Peccatum habituale hominis in statu naturæ puræ constituitur, & ad finem supernaturalem non elevati, non esset privatio gratiæ, aut rectitudinis supernaturalis, sed tantum conversionis in Deum ut finem naturalem: Ergo per huiusmodi conversionem posset tolli, cum privatio tollatur per formam ipsi directè oppositam.

Secundò probatur: Si ad remissionem & expulsionem talis peccati necessaria esset infusio gratiæ habitualis, vel alterius doni entitativè supernaturalis, sequeretur impossibile esse remissionem peccatorum, manente homine in illo statu; cum per infusionem gratiæ habitualis, vel alterius doni supernaturalis, educeretur homo à statu naturæ puræ, & constitueretur in statu gratiæ: Consequens non est admittendum: Ergo &c. Probatur Minor: quia alioquin homo manens in illo statu necessariò esset miser; quippe qui semel lapsus in peccatum, nullum haberet remedium quo posset reparari, & ab illo infelici statu resurgere, subindeque non posset beatitudinem naturalem, ad quam esset ordinatus, consequi: ex quo ulterius sequeretur, statum puræ naturæ esse impossibilem, & divinæ providentiæ repugnantem; cum suavitati divinæ providentiæ repugnet, hominem in aliquo statu condere, vel ponere, in quo necessariò sit miser, & suum ultimum finem ac beatitudinem naturalem consequi non valeat. Unde necessariò dicendum est, quòd status naturæ puræ haberet proprium remedium ad sui reparationem, & peccati commissi remissionem, nimirum actum contritionis naturalis de peccato, includens dilectionem Dei super omnia, ut est author naturæ: cum enim peccatum habituale in illo statu solam importaret privationem conformitatis ad legem naturalem, & aversionem à Deo ut fine naturali; ad ipsum destruendum sufficeret actus contritionis, aut dilectionis efficacis Dei ut authoris naturæ, adjuncto favore Dei extrinseco, condonantis rationem offensæ.

97. Nec valet quod aliqui dicunt, nempe quod li-

A cèt homo in puris naturalibus peccans, avertere-
tur solum formaliter & directè à Deo ut ultimo
fine naturali, indirectè tamen & ex consequenti,
etiam à Deo ut ultimo fine supernaturali averte-
retur, tum propter conjunctionem quæ est inter
Deum ut authorem naturalem & supernatura-
lem; tum etiam quia homo peccans mortaliter
in illo statu, constitueret ultimum finem in crea-
tura; creatura autem ut ultimus finis, non solum
opponitur Deo ut ultimo fini naturali, sed etiam
ut ultimo fini supernaturali. Non valet, in-
quam, nam licet supposita elevatione naturæ
humanæ ad ordinem supernaturalem, repugnet
hominem averti per peccatum à Deo ut fine na-
turali, nisi etiam ex consequenti & indirectè à

B Deo ut fine supernaturali avertatur, propter
conjunctionem quæ est inter Deum ut autho-
rem naturalem & supernaturalem: si tamen ho-
mo non sit ordinatus in finem supernaturalem,
nullo modo à Deo ut authore & fine supernatu-
rali averti potest, aversione saltem privativâ,
de qua solum in præsentî agimus, cum talis
aversione necessariò supponat potentiam & obli-
gationem se convertendi in Deum ut authorem
& finem supernaturalem, subindeque ordinatio-
nem seu elevationem naturæ humanæ ad ordi-
nem supernaturalem: At homo in puris natura-
libus peccans, non esset ordinatus in finem su-
pernaturalem; cum status puræ naturæ talem ordi-
nationem excludat: Ergo non averteretur à
Deo ut ultimo fine supernaturali, etiam indire-
ctè & consequenter.

Addo quod, si propter conjunctionem, quæ
est inter Deum ut authorem naturalem & super-
naturalem, homo in statu puræ naturæ peccans,
non posset averti à Deo ut fine naturali, nisi ex
consequenti & indirectè ab ipso etiam ut fine su-
pernaturali averteretur; ob eandem rationem
non posset se convertere in Deum ut authorem
naturæ, per actum efficacem dilectionis natura-
lis, nisi etiam indirectè & ex consequenti in ip-
sum ut authorem supernaturalem se converteret;
& sic actus dilectionis & conversionis in Deum
ut authorem naturæ, esset sufficiens ad tollendam
prædictam aversionem.

§. V.

Solvuntur objectiones.

O b j i c i e s primò contra primam partem con-
clusionis: Si aliquis existens in peccato mor-
tali raperetur ad divinam visionem, absque in-
fusione gratiæ habitualis, solo actu dilectionis,
qui necessariò sequitur visionem beatificam, ju-
stus fieret, & sine peccato maneret; quia esse in
peccato, & esse beatum, implicat contradic-
tionem, cum peccatum sit summa miseria: Ergo
actus dilectionis potest, saltem de absoluta Dei
potentia, esse causa formalis justificationis, seu
remissionis peccati.

Respondeo primò negando suppositum, nem-
pe quod sine habitu gratiæ possit esse beatitu-
do: nam beatitudo est passio gratiæ, & perfe-
ctissimus actus vitalis, procedens à principio
radicali vitæ supernaturalis, quod est gratia,
& ideo sine illa nequit elici, sicut nec intelle-
ctio sine principio radicali vitæ intellectualis;
scilicet anima; & idem dico de dilectione Dei,
quæ etiam est actus perfectè vitalis, vitalitate
supernaturali: unde eo ipso quod Deus homi-
nem in mortali existentem rapere vellet ad

claram sui visionem, & amorem beatificum, necessitaretur ex suppositione illi gratiam habitua-
lem infundere, per quam formaliter justificaretur, & expelleretur peccatum.

107. Respondeo secundo, admissio casu, negando Antecedens, scilicet quod tunc expelleretur formaliter per actum dilectionis peccatum mortale habituale; quia dilectio patrie non opponitur directe peccato habituali, sed tantum actuali: unde sicut visio beatifica Pauli non expulit fidem habitualement (ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 3.) quia clara Dei visio non opponitur directe habitui fidei, sed tantum actui, ita nec actus amoris beatifici, in casu argumenti, expelleret formaliter peccatum habituale, sed tantum dispositivè: quemadmodum posito calore ut octo in aliquo subiecto, Deo impediende introductionem ignis, non tolleretur forma illius subiecti, quia calor non est formaliter forma expulsiua, sed tantum dispositiva ad expulsionem. Item in illo casu homo non esset beatus, quia ad beatitudinem requiritur gratia consummata & permanens ex natura sua; sed solum esset visio & dilectio per modum transeuntis, non constituentes statum beatitudinis.

102. Obijcies secundo: Offensam remitti est Deum deponere odium, & fieri pacatum & amicum illi quem antea odio prosequabatur: Sed ad hoc sufficit actus charitatis: Ergo per illum, ut per causam formalem, offensam Dei remitti potest. Major patet ex supra dictis, Minor probatur. Per actum charitatis homo Deum ut amicum diliget: Ergo cum amor sua natura sit reciprocus, & Deus non pariat se ab aliquo diligere, nisi ipsum etiam diligat, ille pariter à Deo diligetur; imò eo ipso quod Deus dilectionem sui ei communicaret, ipsum tanquam sui amatorem & dilectorem diligeret: Ergo actus charitatis sufficit ut Deus sit pacatus & amicus illi quem antea odio prosequabatur.

103. Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem dico, quod licet eo ipso quod aliquis diligat Deum, diligatur à Deo, dilectione disponente ad ipsius Dei amicitiam, siue dilectione capaci ipsius amicitie, non tamen dilectione, quæ sit formaliter ipsa amicitia Dei cum homine: amicitia enim vera debet fundari in convenientia in natura, quam tamen non facit actus charitatis, imò nec supponit, nisi supponat gratiam habitualement, quæ est participatio formalis divinæ naturæ.

104. Ad illud quod subiungitur, similiter dicatur quod Deum communicare homini à quo fuit offensus, dilectionem sui, est Deum diligere hominem, non formaliter, sed dispositivè tantum: quia est Deum velle homini illud bonum, quod est dispositio ad amicitiam Dei, & remissionem offensæ, non autem illud quo fiat formaliter amicus Dei; nam sicut actus charitatis habet solum vim constituendi hominem, amantem Deum, amicum verò solum dispositivè; ita Deum velle dare homini actum charitatis, est velle dare homini quod amet ipsum formaliter, & disponatur ut ametur ab eo.

105. Obijcies tertio contra secundam partem conclusionis: Gratia & peccatum, etiam in statu elevationis naturæ humanæ ad finem supernaturalem, non opponuntur immediate: Ergo potest tolli peccatum, sine infusione gratiæ. Consequentia patet ex supra dictis, Antecedens probatur: Si gratia & peccatum opponerentur imme-

Tom. IV.

A diatè, sequeretur quod sicut, juxta nos, non potest tolli peccatum sine infusione gratiæ, ita nec posset auferri gratia ab homine, nisi supposito aliquo ejus peccato: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet. Minor etiam videtur certa: cum enim gratia habitualis dependeat à Deo in fieri, & in conservari, potest Deus illam auferre homini dormienti, absque ulla ejus culpa precedente, & per suspensionem concursus conservativi eam destruere.

106. Respondeo negando Antecedens, Ad cuius probationem, nego Minorem. Ad probationem illius dicendum est, quod licet Deus absolute, & nullà facta suppositione, possit auferre gratiam homini justo dormienti, etiam nullà ejus culpā precedente, hoc tamen impossibile est, supposito decreto Dei, ordinante, & elevante naturam humanam ad ordinem & finem supernaturalem; nam Deum per extrinsecam ordinationem elevare hominem ad ordinem supernaturalem, est Deum velle, quantum est de se, & nisi per ipsum hominem steterit, dare illi gratiam habitualement, sine qua nequit mereri de condigno vitam æternam: unde si Deus auferret alicui gratiam habitualement, absque ulla ejus culpa, ille non maneret amplius ordinatus in vitam æternam, & finem supernaturalem.

107. Obijcies quarto contra tertiam partem ejusdem conclusionis: D. Thomas quæst. 28. de verit. art. 2. ad 5. sic habet: *Si à solo statu naturæ decidisset homo, nihilominus tamen ad expiationem infinite offensæ donum divina gratiæ requireretur.* Ergo sentit, quod si homo conditus in puris naturalibus peccaret mortaliter, non posset peccatum mortale ipsi remitti sine infusione gratiæ habitualis.

108. Respondeo D. Thomam per donum divinæ gratiæ non intelligere gratiam habitualement, aut aliud donum entitative supernaturale (status enim naturæ puræ talia dona excluderet) sed auxilium intra ordinem naturæ speciale, sine quo homo, in puris naturalibus conditus, non potuisset actus contritionis naturalis, vel dilectionis Dei ut authoris naturæ elicere, ut ostendimus in Tractatu de gratia: cum enim tale auxilium non esset statui puræ naturæ debitum, sed ex divinæ providentiæ suavitatem concessum, donum divinæ gratiæ appellari potest.

109. Obijcies quinto: Homo in statu puræ naturæ, peccando mortaliter, averteretur ab ultimo fine, non solum naturali, sed etiam supernaturali: Ergo non posset ei remitti peccatum, sine conversione in eundem finem supernaturalem, atque adeo sine gratia. Utraque consequentia patet, Antecedens probatur primò. Homo ille post peccatum non maneret conversus in finem supernaturalem: Ergo maneret aversus ab eo; nam inter ista duo in homine lapsus non datur medium. Secundò probatur: Homo ille post peccatum non posset converti in Deum ut finem supernaturalem, nisi ablato peccato: Ergo peccatum in eo importaret aversionem à Deo ut est finis supernaturalis; nam sola aversio à fine est impossibilis cum conversione ad ipsum; & ita quia peccata venialia non avertunt à fine ultimo, possunt esse simul cum conversione ad ipsum. Probatur tertio idem Antecedens: Si homo ordinatus ad finem supernaturalem, ignorans invincibiliter talem finem, peccaret mortaliter, à Deo, nedum ut fine naturali, sed etiam supernaturali, averteretur: Ergo etiam & homo in

T ij

puris naturalibus constitutus, si in eo statu peccaret mortaliter. Consequentia videtur legitima: nam qui peccat cum ignorantia invincibili auctoris supernaturalis, non magis offendit Deum ut est finis supernaturalis, quam qui esset in puris naturalibus, cum invincibiliter eum ignoret: Ergo si primus à Deo ut fine supernaturali avertitur, secundus quoque ab eo averteretur.

110. Respondeo negando Antecedens, Ad cuius primam probationem dico, quod homo in eo casu neque esset conversus ad finem supernaturalem, neque averfus ab illo privativè, sed solum negativè, hoc est non conversus: cum verò dicitur non dari medium, respectu hominis lapsi, inter conversum in finem supernaturalem, & averfum ab eo, si intelligatur de averfo privativè, hoc verificatur solum de homine ordinato in finem supernaturalem, non verò de homine in puris naturalibus constituto.

Ad secundam probationem dicendum, quod quamvis ille, qui in statu puræ naturæ peccaret mortaliter, non posset post peccatum converti in finem supernaturalem, nisi ablato peccato; non tamen inde sequitur quod peccatum in ipso importaret privativam aversionem à Deo, ut est finis supernaturalis: quia conversio in finem supernaturalem non solum impeditur per aversionem ab eodem fine, sed etiam per aversionem à fine naturali, quæ tanquam fundamentum requiritur ad conversionem in finem supernaturalem, eò quod rectitudo gratiæ supponat rectitudinem naturæ.

Ad tertiam nego Antecedens: cum enim ignorantia invincibilis excuset à peccato, repugnat quod ille, qui Deum ut authorem & finem supernaturalem ignorat invincibiliter, ab ipso ut tali avertatur aversione privativâ & culpabili: unde ille, qui cum ignorantia invincibili Dei ut auctoris & finis supernaturalis peccaret mortaliter, solum ab ipso ut fine naturali privativè averteretur, & ab eodem ut fine supernaturali negativè tantum maneret averfus. Idem dicendum est de illo, qui in statu puræ naturæ peccaret mortaliter, ut in responsione ad primam probationem diximus: unde illi quoad hoc essent æquales.

111. Objicies ultimò: Non potest remitti peccatum sine intrinseca peccatoris mutatione, ut §. 2. ostendimus: At huiusmodi mutatio non potest fieri, nisi per infusionem gratiæ: Ergo in statu naturæ puræ requireretur gratiæ infusio ad remissionem peccati.

112. Respondeo concessa Majori, negando Minorem: quia licet in statu naturæ elevatæ, ad remissionem peccati mortalis requiratur mutatio facta per infusionem gratiæ; tamen in statu puræ naturæ sufficeret mutatio facta per actum dilectionis naturalis, & acceptatio à Deo per modum compensationis offensæ: nam ratione primi, tolleretur ab homine deordinatio maculæ, & ratione secundi, malitia offensæ.

ARTICULVS V.

Utrum de potentia Dei absoluta, gratia habitualis, & peccatum mortale, possint esse simul in eodem subiecto?

§. I.

Referuntur sententiæ, & vera eligitur.

Questio procedit tam de peccato actuali, quod est actus quidam inordinatus & difformis regulis morum, vel omisso actus debiti, quam de habituali, quod consistit in quadam macula, ex peccato præcedenti in anima relicta, ut in Tractatu de peccatis declaravimus. Unde queritur an gratia habitualis, & peccatum mortale, possint esse simul in homine, vel actualiter peccante, vel existente habitualiter in peccato mortali: sive Deus id efficiat, conservando in illo gratiam jam existentem, sive de novo infundendo gratiam habitualement; eadem enim est questio, neque maiorem ingerit difficultatem unum quam aliud.

Prima opinio asserit gratiam habitualement & peccatum mortale, tam actuale, quam habituale, non adeò inter se pugnare, quin de absoluta Dei potentia in eodem subiecto, atque eodem tempore, simul esse possint. Ita Scotistæ, solum plerique, Nominales, Cuius hic art. 2. dub. 1. & latissimè Suarez lib. 7. de gratia cap. 19. & 20.

Secunda distinguens inter peccatum actuale & habituale, docet per Dei omnipotentiam posse gratiam habitualement simul esse cum peccato actuali mortali; implicare tamen ut pariter simul sit cum habituali, eodem tempore, & in eodem subiecto. Ita Petrus à Lorca hic disp. 40. §. dico tertio, & 2. 2. quest. 24. sect. 3. disp. 22. in appendice.

Pro tertia opinione, communi in Schola Thomistarum, quam sequuntur Montezino, Vazquez, Turrianus, Gamachæus, Amicus, & alij.

Dico: tanta est inter gratiam habitualement, & peccatum mortale, tum actuale, tum habituale pugna, ut ne divina quidem virtute in eodem subiecto simul esse possint.

Probatum primò conclusio ex Scriptura: dicitur enim 1. Joan. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius* (scilicet gratia sanctificans) *in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quibus verbis Apostolus non solum impossibilitatem gratiæ cum peccato declarat, sed etiam profundissimam illius rationem insinuat, quæ sic potest breviter proponi. Gratia est semen Dei, seu natura divina participata, ut in Tractatu de gratia fusè ostendimus: Sed natura divina participata non potest cum peccato, sive actuali, sive habituali stare, etiam de absoluta potentia: Ergo nec gratia: Minor probatur: sicut natura divina est ipsa met rectitudo, sanctitas, & puritas per essentiam; ita participatio divinæ naturæ est participatio divinæ rectitudinis, puritatis, & sanctitatis: Ergo sicut natura divina, ratione suæ infinitæ sanctitatis & puritatis, habet omnimodam impossibilitatem cum peccato; ita & gratia, ob participationem eiusdem puritatis & sanctita-

